


## **Exercitatio Theologica Octava De Luce Increata Et Creata**

Tubingae: Reisius, 1684

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn872463508>

Druck Freier  Zugang





78.



Ja - 1092(78) (SON)



37. Geom Henricus Keller de Magistratu Pol.  
 38. Krieger Hirkander Satyra in Bökelmanni Dissert.  
 inaug. de Potestate Ecclesiastica.  
 39. Jo. Henrici Maji Epistola ad J. Jo. Frischlayonem.  
 40. Disputatio ad 1 Jo. 11, 1. 2.  
 41. Fridericus Lipsius de Martino Antonio de Do-  
 minis Episcopo Spalatensi.  
 42. Ministerii Tripolitani Anticenis Indici Syncretismi  
 43. Eiusdem Ministerii Liber ad Collegia Theologica.  
 44. Erney Abtligy Risus Unschuldigmüßmüß  
 Luffen.  
 45. Melchioris Corneci Aristoteles redirevo R. Cathol.  
 46. Gottlieb Wernsdorff Progr. de Ernesto Lueb.  
 ad Orat. inaug. O. Luhn.  
 47. —. Exploratio Spiritus Brendeliani.  
 48. Jo. Reinhart Brecht de Paenit. Iterabili.  
 49. Jo. Michael Ludwig de prejudiciis practiciis.  
 50. Georgi Gustavi Zeltneri conjecturae de Meliarmo  
 presenti et Apoc. pp. 4 ff.  
 51. Godofredi Ludovici Progr. de Epist. ad Ebneos.  
 52. Christoph. Matthiae Pfaffig de Gratia et Prae.  
 53. Jo. Sigismundus Kirchmeier de Principio fidei  
 Verbo Dei contra revelationes Inspiratorum.  
 54. Jo. Henricus Majus Filij de Novi Anni Lib. auspiciis.  
 55. Gasparij Cardilli Apologia pro Indictione Concilii  
 Tridentini

Y.S.

EXERCITATIO THEOLOGICA

OCTAVA

*De*

LUCE INCREATA  
ET CREATA,

*Quam*

Prælucente Luminum Patre

*Sub PRÆSIDIO*

Doctoris Theologi,

VIRI

REVERENDISSIMI,

DN. JOH. ADAMI OSIANDRI,

SS. Theologiæ Prof. P. Senioris & Primarii ejusdemque Facultatis h. t. DECANI Spectatissimi; Universitatis Tubingensis Cancellarii Eminentissimi, Præpositi Ecclesiæ Vigilantissimi, Meritissimi;

*Dn. Præceptoris, Mæcenatis & in Christo Patris filiali cultu & observantiâ atatem devenerandi;*

Publico Eruditorum Examine submittit

RESPONDENS

MICHAEL Schlee/ Bindlaco-Francus,

SS. Theol. Stud.

*Ad dies 25. & 26. Aprilis*

In Aula Theologorum Nova

TUBINGÆ,

Typis JOHANN-HENRICI REISL,

ANNO M DC LXXXIV.

87,9

PARI VIRO RUM ILLUSTR I

AC GENEROSISSIMO:

V I R O

Generosi Stemmaris Nobilitate, Officiorum Am-  
plitudine & Meritorum Pondere verè Eminent,

DOMINO,

DN. JOH. EBERHARDO

VARNBYLERO IN ET AB Hemmingen/  
SERENISSIMI WÜRTEMBERGIÆ DUCIS CON-  
filiario Intimiori, Illustris Collegii Ephoro, Supremi, quod  
Tubingæ est, Dicasterii Assessori, Civitatum & Distri-  
ctuum, Tubingensis, Herrenbergensis ac Sulzensis  
Præfecto Superiori &c.

Nec non

V I R O

Generosa itidem Nobilitate, Virtutum Excellen-  
tia Summaque Amplitudine maximè Conspicuo,

DOMINO,

DN. JOSEPHO HENRICO

IN ET à Guttenberg / Breiten- und Stret-  
chenreuth ꝛ.

SERENISSIMÆ PRINCIPIS VIDUÆ à Bran-  
denburg-Culmbach ꝛ. Consiliario & Aula  
Magistro &c.

DN. MOECENATIBUS AC PATRO-  
NIS SUI GRATIOSIS,

Exercitationem hanc Theologicam  
In sui, suorumque studiorum commendationem  
offert

Humilimus ac Devotus Cliens,  
MICHAEL Schlee/ Respond.



EXERCITATIO THEOLOGICA  
OCTAVA.

De

LUCE INCREATA  
ET CREATA.

THESIS CXXX.

**S**ecundò *Thomas* in cap. I. ad *Ebræos* ita exponit: Facis Angelos tuos Spiritus & Ministros tuos Ignem urentem, id est, facis ut Angeli Ministri tui habeant velocitatem Spirituum id est ventorum & Efficaciam ignis urentis: atque ita sunt veluti quidam venti spirituales in discurrendo, & quidam veluti Ignes divini in operando, quam *Exegesis* quoque adducit *Bellarminus*, & addit. Comparat autem *Propheta* sanctos Angelos ventis & Ignibus, non quod non sint velociores ventis & potentiores Ignibus, sed quia nos nihil novimus inter hæc corporalia, quibus aptius Angelorum velocitas & efficacia comparari, sive conferri possit. Dicitque favere huic Expositioni etiam *S. Hieronymus* in Commentario hujus loci: & quod majus sit textum græcum, tum in *Psalmo*, tum in *Apostolo* ad *Ebræos*; nam in utroque loco videri articulum addi ad nomina Angelos & ministros, non autem ad nomina Spiritus & Ignem. Sed & hic attentus *Anagnostes* deprehendit, quantum recedatur à simplicitate textus. Hoc quidem non malè observatur, quod Angeli & Ministri sustineant locum Subjecti, quo ipso prima expositio *Bellarmini* irregularitatis arguitur, quod non frustra & in hoc indicium utrobique articulus præfixus deprehendatur. Sed primò in hoc aberratur quod vocabulum *רוּחַ* non relinquatur in propria sua significatione, sed ad ventos detorqueatur, imò longius procedit hæc Expositio, nec subsistit in ventis, sed ad accidens velocitatis in illis delabitur, nec vox *שֵׁרָפִים* in nativâ significatione accipitur, sed ad Efficaciam quæ in Igne, cum tamen etiam alia gaudeant Efficaciâ, nec

nec opus ita fuisset vocabulum Ignis adhibere, obliquat. *Secundò* Paulus huic Expositioni obstruit, nam ipso *Bellarmino* teste Apostolus comparationem instituit Angelorum cum Filio Dei, illos deprimendo, hunc verò illis ut eminentissimè summum præferendo, ut docet versus quartus, quintus, sextus, septimus, octavus, nonus &c. sige loqui Paulum de Angelis non consideratis secundùm naturam illam excellentem, quam habent ex creatione, sed secundùm accidentia celeritatis & efficacix, infirmum erit, quod Apostolus adstruere fatagit, nempe filium DEI esse incomparabiliter superiorem illis in Dignitate essentiali, sed hoc tantùm concludetur ipsum excedere illos in celeritate & efficaciâ, de quâ ne vestigium quidem ibi, sed potius oppositum versiculo octavo, nec ipsius scopus fuit DEI filium cum Angelis conferre secundùm conditionem officij, in quantum illi, quasi quidam venti spirituales in discurrendo, quasi quidam Ignes divini in operando, sed prout sunt illi in ordine omnium creaturarum excellentissimæ & Bene Elohim, qui videntur esse proximi ratione naturæ spiritualis & eminentiæ ipsi filio DEI. *Tertiò* ipse *Bellarminus* se prodit in ratione, cur Angelos ventis & ignibus comparet Propheta, quia scil. nihil cognoscamus inter hæc corporalia, quibus aptius Angelorum velocitas & efficacitas conferri possit, non quod non sint velociores ventis & potentiores ignibus. Atqui si comparatio instituitur cum aliquo, atque id quod commendari ab aliquo attributo intendimus, est maximè eminens, non comparari solemus cum inferiore, infirmiore & minore, quod deprimit, sed cum nobiliore, ut perfectio illius eò magis eniteat & innotescat. *Secundò* frustra ratio redditur comparationis, ubi de ipsa comparatione nondum constat. *Tertiò*, si velocitatem & efficaciam Angelorum voluisset indicare Psaltes assumptione venti & ignis in comparationis adminiculum, quia nihil novimus inter hæc corporalia, quibus aptius Angelorum velocitas & efficacitas conferri possit, non dixisset, facis Angelos tuos Spiritus, hoc est similes ventis in celeritate, sed Soli, qui velocissimo motu fertur, in exiguo spatio temporis immensum iter confecit & longè celerior est omni ventorum flatu, & Ministros tuos Spiritus sive Spiritibus similes, quorum efficacia omnem vim ignis etiam flammantis transcendit

dit, videatur Pfalmus 19. v. 6. vel halitus conclusos in terras sive illis similes, qui totos montes concutiunt & stupenda vi terram commovent & erumpunt.

## CXXXI.

Denique ex Pontificiis à vero recedit menteque Spiritus S. *Thomas Le Blanc* Theologiæ Doctor & in Academiâ Remensi atque Muffipontanâ, nec non in Collegio Divionensi Scripturæ sacræ Professor, qui de Apostolis & apostolicis Viris accipit ignem urentem, atque comparisonem instituit utriusque. *Primò* enim auditores illos accendere verbis flammantibus, secundùm illud Jeremiæ 5. v. 14. & Abdiæ v. 8. *Secundò* illos auditores illuminare Ezech. 1. v. 13. *Tertiò* penetrare corda hominum & vivificare Thren. 1. v. 13. quod etiam exemplis *Francisc. Strada, Ramirezii, Suarezii, Edmundi Augerii* demonstrari intendit, *quartò*, fugare illos Dæmones ab animabus fidelium secundùm *Maccarium* & tandem sursum elevare eos quos inflammant, esse currum igneum tollentem Eliam in cælum 4. Reg. 2. v. 11. At supponit bonus ille Vir agi à Pfalte de Apostolis & Apostolicis Viris, cum tamen sit occupatus in operibus creationis recensendis, non renovationis, agat de Angelis qui facti sunt Spiritus, habeat Interpretem Paulum omni exceptione majorem, qui intelligit per hos Angelis πνεύματα λειτουργικά, ut constat ex Ebræor. 1. v. 7. & 14. *Secundò* dicta Scripturæ quæ allegat, torquet, & id vult significare, quod ipse præconcepit, quasi Scriptura esset cothurnus, aut nasus cereus, quem liceret pro arbitrio cujuscunque insolentis Monachi nunc in hunc, nunc in alium sensum flectere. *Tertiò* egregiè ratiocinatur, Apostoli & Apostolici Viri hîc intelliguntur, quia accendunt, illuminant, penetrant, Dæmones fugant, sursum elevant eos, quos inflammant. Colligite vitia *primò* qui accendunt, illuminant, penetrant, Dæmones fugant, elevant, illi hîc intelliguntur. Atqui Ignatiani, & cæteri Monachi accendunt, illuminant, penetrant, Dæmones fugant, elevant. Ergò Ignatiani & cæteri Monachi hîc intelliguntur. At quis credat Davidem vel unum cucullatum novisse aut de eo prophetasse. *Secundò*, num ignis urentis vel flammantis est, ut ad minorem accedamus, Dæmones fugare, annon secundùm Pontificios ignis urens est potius domicilium

cilium Dæmonum proprium. *Tertio*, quomodo sub classem Apostolorum & apostolicorum Virorum referuntur *Franciscus Strada*, *Ramirez*, *Suarez* & *Edmundus Augerius*, num & illi Apostoli vel apostolici Viri scil. nos poma nataus. Denique quid non poterit tentari circa textum Scripturæ, si licentia illa *Le Blancii* obtineat, cui Apostoli & Apostolici Viri sunt primò Nubes, secundò Ventî, tertio Angeli, quartò Ignis, ut non dicam etiam de Angelis Spiritibus ipsam hæc exponere verba.

## CXXXII.

In *Calvinianis* quibusdam etiam aliquid desideramus, qui alias hîc non malè Magistro contradicunt. Rectè quidem *Piscator* agnovit hîc de Angelis esse sermonem, sed tamen non dextrè verfat in Explicatione, scribendo: Qui Angelos suos tales creavit, ut instar ventorum quam celerrimè moveantur ad expediendum negotia sibi mandata; Ministros suos, nempe ipsos Angelos, repetè facit ignem flammantem, id est tales, ut instar ignis consumant impios, ad hoc à Deo emissi, quam sententiam amplexus quoque fuit *Franciscus Gomarus*, quanquam illud de consumptione impiorum non prehenderit, sed ignem flammantem exposuerit, quod Angeli sint naturæ potentis, instar ignis & fulguris. Adde alias quoque Expositiones apud *Mattheum Polum* in caput primum Epistolæ ad Ebræos.

## CXXXIII.

Sed ut reliquas prætereamus, de quibus ex disputatis judicari potest. Hoc notamus primò quod *Piscator* à principali significatione vocis  $\eta\eta\eta$  desle&at & ventos substituât pro Spiritu, quod comparisonem fingat, cujus nullum indicium est in textu, quod de destinatione ad officium & expeditionem negotiorum accipiat verba, quæ tamen naturæ & essentiæ sunt indicia. *Secundò*, quod pariter asserat Deum facere Ministros suos ignem flammantem id est tales, ut instar ignis consumant impios, ad hoc à DEO emissi. At iterum absque vestigio comparationis, absque ullo indicio consumptionis impiorum, & emissionem DEI ad hoc iudicium, dicit hinc sanctos Angelos nominari Seraphim, id est, urentes *Esaïæ* 6. vers. 2. at ibi Angeli dicuntur non Seraphim, non urentes ex eo, quod consumant impios, sed absolutè. *Tertio* docet non de ventis & igne

& igne sermonem esse probat, tum ex allegatione Apostoli Ebr. 1. v. 7. tum ex ipsis verbis. Nam si de igne (ac proinde etiam de ventis) loqueretur, non diceret; facit ignem Ministros suos numero plurali: talis enim sermo ineptus est: sed uteretur numero singulari, dicendo, facit ignem Ministrum suum. At verò si attendisset profundius ad locum Ebræor. 1. vidisset non haberi comparationem, non sermonem esse de destinatione ad officium, non relatè loqui Apostolum de Angelis ad homines, sed absolute, nullius venti facere mentionem, sed dicere ὁ πνεῦν τῆς ἀγγέλων αὐτῶν πνεύματα Spiritus, quod nomen Naturæ est, καὶ τῆς λειτουργίας αὐτῶν πρὸς Φλόγα. Quo ipso quoque cadit, quod *Franciscus Gomarus* voluit commentari ad hæc verba. Sanè hæc arreptâ Exegesi Photiniana multum tribuitur. Ita enim *Crellius*. Dubium videri possit, quo sensu dictum sit, Angelos esse Spiritus & Ignis flammam, num hic natura Angelorum definiatur; num verò similitudine tantum illustretur, quod sint Spiritibus h. e. ventis & ignis flammæ similes, nempe subtiles, agiles, penetrabiles, invisibiles, magnaque simul vi, ac potentia præditi. Nam & ventis & flammis nihil subtilius, agilius, penetrabilius, potentius, præsertim si per flammam ignis, seu ut est in Hebraico textu ignem flammantem, seu urentem intelligamus fulgura & fulmina (hæc enim intelligenda esse contextus ipse conducat) nam istis nihil perniciosius ac penetrabilius. Quod si posteriorem hanc sententiam sequamur, quæ magis cum psalmi contextu convenit, ante vocem πνεύματα subintelligenda est particula similitudinis tanquam, aut alia aliqua. ut cum Psalm. 111. v. 1. dicitur, Vola in montes avis, id est sicut avis. Solent enim istæ particule similitudinis aliquando omitti, quod etiam locum habere potest in illis Petri verbis 1. Pet. 3. v. 20. quando semel expectavit, pro quemadmodum, quando semel expectavit: similiter in illis 2. Pet. 3. v. 4. omnia sic manent ab initio creationis, pro quemadmodum ab initio creationis. Hætenus ille.

## CXXXIV.

Sed nec prætereundus est *Hugo Grotius*, qui ad Psalm. 104. hæc addidit: Sunt enim Angelorum alii aërei, alii ignei, qui tam boni, quam mali, dicuntur Seraphim. Esse Angelis corpora, sed subtilissima

ma non Pythagoræ tantum & Platonis Schola sensit, sed & Judæi veteres, & veteres Christiani. Intelligentiarum ab omni materia secretarum Faber est Aristoteles, quem nimis ὡς περὶ τῶν in rebus theologicis multi sequuntur. In Commentario verò Epistolæ ad Ebræos hæc habet: Et hoc ex Græco LXX., nisi quod hic Scriptor locum memoriter citans, pro πνεῦμα βλάστην posuit πνεῦμα βλόγη, ubi Aquila πνεῦμα λαλῶν, Symmachus πνεῦμα φλόγη. Sensus hujus loci est: nihil magnum est in nomine Angelorum & Ministrorum, cum ea nomina Scriptura det etiam vento & flamma. Nam omnes creaturae, quibus Deus extra ordinem nititur, eo nomine venire diximus ad Gen. 3. v. 23. & Maimonides Duce dubitantium 116. Ac sicut ventus & flamma Angeli dicuntur: ita contra Angeli quidam Seraphim, id est, flammæ & Cherubim, quo nomine olim videntur significati venti. Confer Psalm. 18. v. 11. & 54. v. 3. quia & Efficacia & Celeritas melius per res nobis cognitæ exprimi nequit. sed priorem sensum magis exigit series loci in Psalmo, nec obstat articulus ille τὸς, qui creditur Subjectum notare non pradicatum. Nam & apud Atticos, & apud nostros Scriptores articulus ille sæpè abundat.

## CXXXV.

Ita cumulavit Abfurda, qui sibi visus Aquila in nubibus cæteros despiciens, ut volitantes umbras. Aburdum est primò Angelorum alios esse aereos, alios igneos, unde enim hoc nisi ex falsâ suppositione, quasi aliud indicaretur per Angelos, aliud per Ministros, quasi vox רוהות notaret ventos & ignis materialis significaretur nomine לוהט ושא ignis flammantis. Unde hoc nisi ex conficta hypothese quasi Angelis essent corpora, sed subtilissima ex consensu Pythagoræorum, Platoniorum, Judæorum & Christianorum veterum, unde hoc nisi ex vana opinione de Aristotele fabro Intelligentiarum. At primò non alii notantur nomine Angelorum & alii nomine Ministrorum, nec vel illi venti, vel hi ignis materialis dicuntur, imò nè quidem cum illis comparantur, sed dicuntur Angeli רוהות Spiritus πνεύματα à Paulo & iteratò πνεύματα λειτουργικά Ebræor. 1. v. 7. & ultimo. Secundo quicquid senserint Pythagoræi, Platonici & Judæi, veteres, nihil ad nos, qui novimus illos fuisse noctuas ad Solem, inprimis in hac materia, quæ à sensibus est remotissima: Scriptura est lucerna pedibus nostris

stris

stris & lux semitis nostris, non commenta Pythagoræorum quibus etiam cælum tinnit, in auribus Platoniorum, qui Deos intermedios introduxerunt, Judæorum qui suis Sephirot suos materiales Angelos ex cælo subjunxerunt, quanquam *Menasseh Ben Israel* secundam Lucem dicat fuisse intelligentias à materiâ separatas, quæ ponantur in mundo **בְּיִמֵּי** Creationis: unde etiam dicat *Daniel*: Claritas illi cohabitavit. Præterea falsum est veteres Christianos existimasse Angelos esse corporeos, si universaliter hoc obtrudere velit *Grotius*. *Ignatius* antiquissimus in Epistolâ ad Tralenses τὰς ἑσπερίαις cœlites dicit ἀσώματα φύσεις. *Basilius* lib. 12. contra Eunomium Angelos vocat ἀσώματων κλίσην incorpoream naturam. *Chrysostomus* denique libro primo ad Augurium pag. 86. ἐποίησεν ἀγγέλους, δευχάγγελους, καὶ τὰς αἰθέρας τῶν ἀσώματων ἑστίας. Tertio malè dicit Intelligentiarum ab omni materiâ secretarum fabrum esse *Aristotelem*; longè enim antiquiores *Aristotele* Scriptores θεόπνοοι docuerunt Angelos esse Spiritus & hoc ipso in loco *David* Propheta Altissimi, *Jobus* 38. v. 7. sanè quod de Intelligentiis habuit *Aristoteles* quoad Existentiâ & Essentiâ illarum non ex se habuit, sed aliunde & forsan ex libris sacris, aut commercio cum Judæis aut aliâ aliquâ traditione, quanquam illud confictum quod motrices constituit Orbium cœli, si de ipsius fuit sententia, ut & illud aliundè hausit, quod lib. 2. Rhet. cap. 23. afferit, Dæmones esse opus Dei, nec sequuntur hoc in passu Theologi *Aristotelem*, sed Scripturam, cui si consonat *Stagirita* non opus est illum vellicare. Illud autem non capimus, quomodo non tantùm Angelorum alii sint aerei alii ignei, cur non addit aqueos & terrestres quoque *Nollii*, qui tam boni quam mali dicantur Seraphim, quanquam enim possimus permittere Angelos ex ipsâ Creatione esse Seraphim, ubi tamen mali Angeli hoc nomine veniant, in Scripturâ nullibi invenimus.

## CXXXVI.

In Commentario ad *Ebræos* omnia turbat, lapsum primò memorix tribuit *Paulo*, θεόπνοος & ipsius Facultati tribuit, quod fuit Spiritus sancti & inspirationis divinæ, diversum comminiscitur in illis, quæ in idem recidunt. Secundò sensum fingit: nihil magnum esse in Nomine Angelorum & Ministrorum, cum ea Nomina

mina Scriptura det etiam vento & flammæ, cùm tamen abundè hætenus demonstratur de vento & flamma materiali non esse sermonem vel Davidi, vel Paulo, & falsissimum omnes creaturas quibus Deus extra ordinem utitur eo nomine venire, aut doceri posse ex Gen. 3. *vs.* 23. quicquid sit de Maimonide, qui non ita primus inter Rabbinos nugari desit, ut non quamplurima in illo occurrunt, quæ ad recrementa & nugas referenda. *Tertiò* ineptissimam comparisonem instituit, fallum est ventum & flammam dici Angelos, non enim Angeli prædicati sed subjecti locum sustinent, incertum Angelos quosdam Seraphim id est flammæ dici, quosdam Cherubim, quid si enim diceremus omnes Angelos, si non malos tamen bonos dici Seraphim, omnes Cherubim, nec illi conducunt loca allegata Pslm. 18. v. 11. & 54. v. 3. forsan 99. v. 1. neque enim probari potest ibi per Cherubim designari ventos, & quod infirmum illud quoque efficaciam & celeritatem melius per res nobis cognitæ exprimi non posse supra in castigatione *Bellarmini* ostendimus, & quæ urget necessitas, ut articulum negligamus, ut à simplicitate literæ recedamus, ut omnia confundamus, tantùm ut opinioni præconceptæ litemus!

## CXXXVII.

Advocare autem possumus in Subsidiū causæ nostræ & pro Luce angelicæ naturæ alia quoque loca Scripturæ. Nam *primò* deprehendimus in Historia Eliæ, quod illi de cælo missus currus & Angeli ignei. Verba Textus ita habent: Cumque pergerent, & incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus & equi ignei diviserunt utrumque: & ascendit Elias per turbinem in cælum. Famulus Elisæi vidit ignem Angelorum: Cum enim orasset Elisæus, & dixisset: Domine aperi oculos pueri hujus, ut videat. Aperuit Dominus oculos pueri & vidit: & ecce mons plenus equorum & curruum igneorum in circuitu Elisæi 2. Reg. cap. 2. v. 11. & eodem libro cap. 6. v. 17. huc referunt quidam illud ex Esaiæ 6. *vs.* 2. ubi legitur: Seraphim stabant super ipso, sex alæ uni & sex alæ alteri: duabus velabant faciem suam & duabus velabant pedes suos & duabus velabant, nec non illud Ezechielis primo versu decimo tertio: ubi dicitur: *Et similitudo animalium, & aspectus eorum, quasi carbonum ignis ardentium & quasi aspectus lampadarum.*

padarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium splendor ignis & de igne fulgur egrediens. Et animalia ibant & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. ut & capite vigesimo octavo, versu decimo quarto, cujus verba ita ponuntur: Tu Cherub extensus, sive magnus & protegens & posui te in monte sancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulasti.

## CXXXVIII.

Quoniam autem varix Interpretationes occurrant circa loca illa allegata, si vel Rabbiorum Commenta perquiramus, vel etiam Christianorum Paraphrases, Pontificiorum, Calvinianorum, & nostrorum, qui hîc non omnimodè consonant. Quoniam etiam nolimus obtinere Angelos in Scripturis nobis passim figurari, tanquam ignem materialem & sufficiat nobis illos esse Lucem quandam, utut etiam in igne corporeo lux & calor sint conjunctissima, aded ut ignem fingere sine luce sit fingere insomnium sine somno, noctem absque tenebris. Quoniam denique facilè largiamur Achillem nostrum esse in loco Pfaltis supra vindicato & hæc dicta comparata vel cum effato Davidis, vel inter se collata non esse paria, nec eadem probandi vi pollere, sed quædam probabiliter facere pro nostra sententia & aliter etiam posse accipi, non tamen censemus esse simpliciter negligenda aut silentio prætereunda, cum si non ad illud probationis fastigium ascendant, quo adductum supra, non tamen omni vi destituantur, sed etiam nobis in hæc materiâ aliquantum conducant illustranda.

## CXXXIX.

Nam primò, quod concernit locum ex 2. Reg. 2. aut sequimur Cornelium à Lapide, qui ita commentatur ad verba allegata: Angeli hos equos & currus specie ignis ex aère & nubibus ac radiis Solis apposite ad ignis colorem exhibendum per eas transparentibus formarunt, ut Eliseo suam cælestem naturam igneamque celeritatem, fortitudinem, vim & efficaciam representarent. Non erat hic currus verè igneus, sic enim aduffisset Eliam, sed habebat formam & speciem ignis, sicut habent meteora in aère formata. Erant enim revera Angeli, qui assumentes formam ignis sursum vehebant Eliam, juxta illud: Qui facis Angelos tuos Spiritus, & Ministros tuos ignem urentem Ps. 104. v. 4. Fuit ergò hic ignis aër crassior silendens, rubensque ut

Y

ignis

ignis secundum Abulensem, atque ita habebimus Angelos ignes vi psalmi allegati, & quamvis currus ille & equi non fuerint ignei elementariter, quo posito forsan ratio Cornelii concluderet de adustione, fuerunt tamen ignei verè & realiter; aut illos sequimur, qui per currum & equos intelligunt confluxum aliquem atomorum, meteorum quoddam extraordinarium & nubem splendidam in formam currus & equorum effigiatam & Equites admittimus fuisse Angelos, sive Aurigas Spiritus illos & ita nihilominus illos cum igne aliquam habere convenientiam admitti poterit, nec si rectores ignei currus & equorum, propterea negari poterit, ipsos lucidæ esse naturæ, igneæ Essentiæ. Quanquam non dissimulandum ex Ebræis *Kimchium* scripsisse: Elisa vidit sublevationem ejus à terra & cum effet in aëre, vidit speciem currus ignei & igneos equos, qui diviserunt utrumque, & clarius *Samuelem Lainado* censuisse hunc currum & equos fuisse Angelos, qui colloqui Eliam jucunditate permoti cœlum dereliquerint & ejus audiendi gratia inferiora petiverint: ex Christianis verò *Ambrosium* sermone secundo de Elifæo hæc nobis reliquisse: Elias Magister Elifæi nonne Angelis ducentibus raptus ad cœlum est & quadriga ignea impositus quasi in quodam triumpho Victor ascendit? Victor enim extiterat, non gentium barbarum, sed sæcularium voluptatum. Siquidem graviores inimici sunt pravi mores, quam hostes infestis: ut facilius intelligamus hoc tempore malignitatem hostium vinci posse, quam morum.

## CXL.

Secundo in loco 2. Reg. 6. observamus primò vidisse Famulum Elifæ montem plenum equis & curribus igneis circa Elifam, adeoque ostensos esse ipsi Angelos, utpote qui sunt circa pios & illos custodiunt, qui sunt *πνεύματα λειτουργικά* Spiritus administratorii emissi à DEO propter illos qui hæreditarij Beatitudinem Ebræor. i. v. ultimo, vidisse illos oppositos copiis circumdantibus Civitatem equis & curribus corporalibus adeoque currus & equos spirituales, adeoque Angelos, vidisse denique illos de quibus ipse Elisa dixerat versu 16. Ne metuito; nam plures sunt, qui nobiscum, quam qui cum illis sunt. Secundo observamus procul dubio ostensos fuisse Elifæi discipulo illos, quos Elisa Magister vidit in  
trans-

translatione Domini. At illi fuerunt equi & currus ignei, Angeli qui subdlexerunt ipsum è terrâ, & transtulerunt in cœlum, quod officium etiam Christus assignat Angelis circa animas beatorum Luc. 16. v. 22. Tertiò rationem aliquam esse reddendam, cur se. Angeli ita ignei apparuerunt non tantùm Elisæo, sed & cum oculi aperirentur atque divinitus illustrarentur famulo illius, nam aliàs cum apparuerunt Angeli sub specie juvenum non opus fuit apertione oculorum, quia visi sunt in specie & simulacro oculis congruo materiali & corporeo, cum autem aperti sint oculi, procul dubio visi sunt in naturâ suâ citra schema quoddam circumjectum ut in se, adeoque alia commodè vix reddetur, quam quod ipsi sint Substantiæ alicujus lucidæ & ignis naturam æmulanter exprimentis. Unde etiam Angelus apparens in Resurrectione Christi, ut aliquid de Luce internâ naturæ significaret, visus est à præsentibus tanquam fulgur quoddam, ut constat ex Matth. 28. v. 3. Ipse *Cornelius à Lapide* per currus & equos hos Angelos intelligit, quanquam in eo hallucinetur, quod existimat illos sibi lucida corpora efformasse & in hisce tanquam Symbolo quodam externo apparuisse, quid enim opus illa efformatione, illa inductione cum non missi sint ad famulum Elisæ, sed prout revera versantur circa pios, illos comitantur & custodiunt in suâ specie & naturâ ostensi. Verba *Cornelii* ita sunt concepta supra in thesi antecedenti.

## CXLI.

De Seraphim quorum mentio fit in Prophetia Esaiæ ita describit in adornatâ Paraphrasi *Antonius Fernandus Conimbricensis* Visione decimâ pag. 279. Circa Thronum DEI innumerabilis eorum cœlitum, qui amore flagrant, multitudo stabat, alati autem undiquaque: nam quilibet senes alas necessariò sibi ascivit, bina ante oculos; Cùm enim immensus è divinâ facie Splendor emicaret, sustinere illum intentis oculis non valentes, binis alis obtegebant vultus. Præterea duas alas adimos usque pedes demissas præferebant: nam ante Dominum stare oportebat, non divaricatis crucibus, sed compositè, ac reverenter, & idèò binis illis alis pedes intra gyrum modestia quasi continebant. Denique binas alas intermedias extendebant ad volatum, atque ita quasi perpetuo librantes corpus, mandatis se divinis exhibebant promptos.

In Commentario verò Sectione quintâ hæc habet: *Observat primum hic & nusquam alibi in Scripturis Canonicis fieri mentionem de Seraphinis Hieronymus. Unde est illa periphrasis Isaia, quasi è re singulari collecta à Nazianzeno Orat. de Theologia. Ille Gloria DEI & Seraphim Spectator. Est autem celebris illa notatio Nominis ab eodem Hieronymo tradita, quâ Seraphim significat incendium, quod in eis Amoris vis effusus ardeat. Præterea advertit non esse, cur scrupulum moveat, quod in Vulgata duabus alis velabant faciem & pedes ejus. Nam juxta Hebraicum venti potest ejus & suam; ut Seraphim & faciem pedesque DEI & suam faciem ac pedes operire dicantur. Seraphim stabant super illud, id est, Templum, cui non repugnat, quod LXX. dicunt: stare in circuitu maximè, quia verisimilius est juxta Hieronymum super illud, volavit ad me unus de Seraphim, non fuisse Aeos tantum, sed innumerabiles; illud enim sex alas uni, & sex alas alteri, Hebraismus est, id est singuli senas alas habebant. D. ergò Hieronymus alarum mysteria sic declarat: Duabus velabant faciem ejus id est DEI, & duabus pedes; quia videlicet & præterita ante Mundum & futura post Mundum scire non possumus; sed media tantum, quæ sex diebus facta sunt, contemplamur. Expendit autem, quod in Cherubim manifestatur Psalm. 79. Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephraim &c. at hic in Seraphim ex parte ostenditur, ex parte celatur: videlicet, quia opera Sapientia suæ, ab ipsa statim Mundi origine exposuit DEUS contemplationi hominum, non ita Amoris opera, quæ magna ex parte in occulto erant. Tot verò alas habere dicuntur, ut ostendatur DEUS celeriter venturus, ut supplicia sumat; quod illi superius, quasi irridendo petebant. Hæc ferè ex Hieronymo. Cyrillus Alexandrinus in libro de Spiritu & litera: In eo, inquit, quod ait, Duabus alis velabant faciem DEI, ostendit ei nullum principium esse; quod autem duabus alis pedes operiant, ejus vias sive opera esse inscrutabilia. Unde illud Psalm. 76. v. 20. In mari via tua, id est, tam non possunt Opera tua comprehendere, quam nec in mari vestigia. Divus Ambrosius Tom. 4. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 22. Seraphim stabant. Et duabus alis velabant, & duabus volabant. Si stabant, inquit, quomodo volabant; & si volabant, quomodo stabant? Stant tempora, volant tempora, stant præterita & futura, præsentia volant. Ne quæras principii ejus vel finis arcana, quæ non sunt, habes*

PRA-

presentia, sed laudato, non discute, Seraphim laudant, tu discutis? Dicendum etiam potest, Seraphim faciem DEI velare, & simul volare: quia cum non possint plene sustinere Majestatem ejus, permittit, ut ejus faciem, quasi intervelent, ut eorum oculis attemperetur. Quadrat illud Bernardi, Dilectio claudit oculos Majestati, aperit voluptati. Adde reliqua, quæ ibi leguntur.

## CXLII.

Nos res ætis curiosis & sine fundamento vel textus, vel veritatis dictis, atque non ad scopum nostrum facientibus, quædam tantum usui futura excerpimus & præmittimus. Nam primò pro nobis facit notatio Nominis, quam ex Hieronymo producit, qua Seraphim significat incendium, licet illud, quod additur, quod in eis Amoris vis effusus ardeat, nobis ut adæquatum non placeat. Secundò quod itidem ex Hieronymo notat: Stare in circuitu maxime, quia verisimilius sit, juxta illum, super illud volavit ad me unus de Seraphim non fuisse duos tantum, sed innumerabiles. Tertio quod in Seraphim DEUS ex parte ostendatur, ex parte ceteretur. Quanquam enim vanitatis argui possit illa ratio discriminis inter Cherubim & Seraphim, illud tamen nobis conducit, quod admittit *Fernandus* DEUM, qui ignis est ex parte in Seraphim ostendi.

## CXLIII.

Ipsam Nomen סופים descendit à Radice שרף quæ notat cremare, comburere, atque occurrit ita Gen. 11. v. 3. Exod. 32. v. 20. Levit. 4. v. 12. & 21. Numer. 17. v. 4. Esaiæ 1. v. 7. Jerem. 21. v. 10. Ezech. 43. v. 21. *Kimchius* exposuit illud מלאכי אש Angeli ignei. *Chaldeus* explicavit, flammantes Ministros, intimo ardore naturæ DEO ministrantes habito respectu ad Psalm. 104. v. 4. *Matthæus Polus* colligit ut aliàs quoque sententias Doctorum, & ad Nomen Seraphim notavit significari Angelos, ad verbum urentes sic dictos, vel quod primò forma ignea fuerint, fulgentes quasi ignis & igneam habentes naturam sive substantiam: ignem autem esse subtilissimum Elementorum & proximè accedere ad naturam Spirituum. Vel Secundò quod toti dilectione arderent, vel tertio à summâ agilitate, qualis est in igne. Vel quarto

metaphoricè ab officio, quod ministri sint divinæ Iræ, quæ flammæ comparetur, vel *quintò*, ut significaret eos ex mandato DEI instar ignis consumpturos fuisse impiam Judæorum turbam. Pariter serpentes illos incensores dici, quia morfu suo, quasi incenderit corpora Judæorum; concludimus itaque Angelos hosce fuisse ignem quendam spirituales, tum ex origine vocis, tum ex consensu *Kimchii* & *Chaldæi*, tum ex primâ Expositione, quam ex *Piscatore* adduxit *Polus*, quæ proxima nostræ Sententiæ. Nam reliquæ defleunt & nimis longè petitiæ sint, concludimus insuper non unum & alterum tantum Angelum esse Lucem quandam, sed omnes, omnes enim Seraphim ut colligimus ex *Ezech. 1. v. 7.* & *8. Zachariæ 3. v. 7.* ex ipso *Polo*, qui addit Seraphim porrò hic erant vel quatuor, vel potius duo, quot erant Cherubim in propitiatorio. sed hæc planè incerta sunt, alibi apparent quatuor *Ezech. 1. v. 5.* imò Myriades *Psal. 68. v. 18. Daniel. 7. v. 10.* Concludimus denique, quemadmodum omnes Angeli sunt Cherubim ita dicti ab officio, quod præstant DEO tanquam vehiculum, currus, & sedile, de quo *2. Sam. 22. v. 11. Psalm. 18. v. 11. Psalm. 68. v. 18. Zach. 6. v. 1. Syrach. 49. v. 10.* ita omnes esse Seraphim dictos à naturâ lucidâ & igneâ.

## CXLIV.

Adjiciam quæ *Bernhardus* in hanc visionem scripsit: *Ut quid tu, qui manè oriebaris Lucifer in veritate non stetisti, nisi quia Seraphim non fuisti? Seraphim quippe ardens vel incendens interpretatur. Tu verò habuisti miser Lucem, sed ardorem non habuisti. Bonum erat tibi, si ignifer magis esses, quam lucifer: nec tam immoderato appetitu lucendi, ut eras frigidus ipse, frigidam quoque eligeres regionem. Dixisti enim. Ascendam super altitudinem Nubium, sedeo in lateribus Aquilonis, quæ in tantum pro nobis faciunt, in quantum universaliter Lucem in Angelis admittit melleus Doctor.*

## CXLV.

Illud probare non possumus, quod *Jacobus Tirinus* existimat: Tribui hoc Nomen Angelis primi & supremi Ordinis per Antonasiam, eo, quod nobilissimo & excellentissimo modo, Igne divino & ipsi ardeant & alios accendant & inflamment. *Secundò* quod

quod Hieronymus refert in Epistola ad Damasum 142. quidam ante me tam Græci, quam Latini hunc locum exponentes Dominum super Thronum sedentem Deum Patrem: & duo Seraphim, quæ ex utraque parte stantia prædicantur Dominum nostrum JESUM Christum & Spiritum S. interpretati sunt. Addens quorum Ego Auctoritati, quamvis sint eruditissimi non assentior: multò liquidem melius est vera rustice, quam falsa disertè proferre. Tertio quod quidam Interpretes per illos Apostolos intelligunt, qui ministerio Evangelii per quod Spiritus S. efficax est, corda hominum accendant, ut Lux eorum luceat coram hominibus Matth. 5. v. 16. & per volatum celeritatem prædicandi Evangelii, per velamentum ejusdem vim universam hominum justitiam tegentis, eamque in uno Christi merito collocantis. Vel cum *Alcasare* ad Petrum & Paulum referunt, vel etiam cum *Cornelio ad Bonaventuram* tanquam Doctorem Seraphicum dictum extendunt.

## CXLVI.

Breviter ad locum Ezechielis addimus quæ *Thomas Malvena* nobis reliquit scribens: *Similitudo istorum animalium, species istorum velut carbonum ignis, ardentium in speciem lampadum, quarum non tantum materia ardet, sed flamma diffunditur: sic dicuntur Angeli non tantum ardere ipsi, sed etiam res proximas luce sua perlustrare splendidissime, igne accendere, & tanquam fulgura coruscare: his etenim modis & ipsi inter se accenduntur & alias res creatas afficiunt, emittentibus in se scintillis gloria DEI, quas habent ad ministerium, documentumque bonorum ac improborum exitium. Nec dissimiliter Antonius Fernandus, qui hanc paraphrasin è latere posuit: Ipsa quoque Animalia & eorum apparentia carbones facesque igneas referebant. Videre quoque erat inter ipsa Animalia quendam quasi Caninum sive fornacem, è qua identidem promicabant fulgetra quoquo versus: neque enim assurgimus recentiori cuidam Interpreti, qui per quatuor Animalia versu quinto delineata, & sequentibus vult significari Ecclesiam redemptorum: quemadmodum explicetur Apoc. 5. v. 8. 9. atque mentem hujus visionis exponit hoc modo: Brevi invasuram esse, populum Judaicum gravem procellam Belli; superstitis ex eo Bello quanquam in tristitia,*

tristitiâ, tamen à DEO protectum iri: & DEUM velle adhuc in medio ipsorum habitare, nondum quidem manifestatum, tamen non sine Magnificentia ac Majestate, & demonstratione potentia sua, & non exercere iram suam ad illos consumendum, sed potius ipsis Lucem futurum & in ipsis excitaturum flammam charitatis: deinde verò manifestatum iri divitias DEI in exhibitione Angeli Testamenti ad ostensionem justitiæ & sanctitatis DEI & misericordiam ipsius; à quibus virtutibus velit nominari maximè: tum extituram Ecclesiam à DEO vivificatam & in eâ regnum DEI in Christo: & Ecclesie permittos fore sanctos Angelos ministros Christi ad salutem electorum. Denique ad locum allegatum ex Ezechielis capite vigesimo octavo conducunt nobis illa Hieronymi scribentis: *Ambulavit in medio ignitorum lapidum, de quibus scriptum est: qui facit Angelos suos Spiritus & ministros suos ignem urentem. Et non solum DEUS, qui vocatur ignis consumens, ferrum, ligna stipulamque consumit, sed & Angeli, qui vocantur igniti Lapidus.* Hactenus Stridonensis Doctor.

## CXLVII.

Quadrant quoque in Angelos proprietates Lucis. Lux sanè est splendidissima, unde etiam aurea dicitur Job 37. vs. 32. purissima & mundissima 1. Johan. 2. vs. 10. diffusissima Habacuk 3. vs. 4. jucundissima Ecclesiast. 11. v. 7. utilissima Ecclesiast. 2. v. 13. cognitu difficillima Job. 38. v. 19. 20. 24. Ita Angeli in primis boni sunt splendidissimi, ut constat ex Matth. 28. v. 3. Lucæ 2. v. 9. unde etiam Angeli Lucis boni vocantur 2. Cor. 11. vs. 14. purissimi, unde etiam dicuntur semper videre faciem Patris cœlestis Matth. 18. v. 10. diffusissimi & latissimi, qui non tantum ad puncti & de-vilitate possunt se contrahere, sed & latè sese expandere & maximi numeri per totum Orbem sese diffundunt Deut. 33. v. 2. Dan. 7. v. 10. Matth. 26. vs. 53. jucundissimi Actor. 12. vs. 7. utilissimi, utpote πνεύματα λειτουργικά Spiritus ministratorii emissi ob salutem illorum, qui salutem hæreditaturi Ebræor. 1. v. 14. difficiles denique cognitu, cum sint invisibiles, sensibusque nostris superiores Coloss. 1. v. 16.

I.  
*Præstantissimo Dn. Respondenti.*

**I**llud Theologum præstat, quod dixit JESUS:  
Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. *Joh. 8. v. 12.*

b. c.

JOHANN-ADAM OSIANDER, D. Cancell.

I I.

**A**lt Dominus Michaël, aut servus in arce supernâ,  
Si Michaël Dominus, quem feret ille parem? *a*  
Si Michaël servus, Domini est prælustrius imago, *b*  
Tu Michaël esto servus in æde DEI.

*a.* מִיכָאֵל / Michaël, quis sicut Deus?

*b.* מִיכָאֵל / Michaël per anagrammatismum est מַלְאָכִי / Angelus.

*Viro Juveni pio & Erudito Dn. Michaëli Schlee / SS.*

*Theol. Cultori indefesso, occasione Disputationis de  
Angelis habendæ, affectum suum testari voluit*

GEORG-HENRICUS HÄBERLIN / SS. Theol. D.  
& Prof. P.

I I I.

**A**ngelos Lucas statuis supernas  
Effe; Sed nullus dubito vocare  
*Angelum Tete, nitidamque Lucem*  
Ac rutilantem:  
Fers enim nomen MICHAELIS altum  
*Angeli, nec non tenebrosa corda*  
*Luce sacratæ Fidei coruscâ*  
Irradiabis.

*Per-Eximio & Doctissimo Dn. Respondenti  
amicâ m. & m. gratulatur*

BALTHASAR SCHÆBLEN, Ser. Pr. Ött. Inf.

I V.

**C**aliginosam nescit adorea  
Ornâsse frontem! Lucis amabili  
Qui laude splendet, contigisse  
Absque labore dies negabit.

Impendioso mentis acumine

Sacrata *Lucis* nomina pervigil

Dum ruminaris, fata spondent,

*TE* sine nube manere Luces.

M. JOHANNES TULLA, Augustâ-Vindelicus.

V.  
A K P O Σ T I X I Σ.

(a) *Nomen & M* aximum Sancti MICHAELIS omen (a)  
*esse trahit.* I ndito credo TIBI nomini esse,  
 C ùm pius quondam superi DEI sis  
 Præco. futurus;  
 (b) *Hagg. 1. 11. H* os DEI Scriptura (b) vocare sacra  
*Mal 2 7 C. 3. A* ngelo; consuevit, eosque turma  
 & *Matth. 11. 10 E* ntheæ ascribit. MICHAEL quibus Dux  
*Marci 1. 2. Lu* ca 7. 27. *Ap. 1.*  
*20. &c. L* ux & es: Pates (c) etenim vocavit  
 (c) *Pf. 104. 4. S* piritus flammæ radiantis ignis  
 Conf. *præced. C* ælicas, quorum Ducis ipse gaudes  
*disp. 16. 123. &*  
*seqq. & hanc H* ùc facit, quòd fiat Superi Ministri  
 ipsam etiam. *L* ampades (d) quarum numero es futurus,  
 (d) *Matth. 5. E* t, velut fulgent, quoque TV nitebis,  
 & 4. Conf. *præced. E* minus astra (e)  
*disp. 16. 125. E*  
 (e) *Dan. 12. 30*

*Rudi hæc Acrostichide*


Clarissimum DN. RESPONDENTEM  
*venerari voluit*


M. JOHANNES PHILIPPUS Höniger/  
 Oringa-Hoënlöhicus, SS. Theol. Stud.


VI.


MVltos multa juvant, sunt & discrimina rerum:  
 Hic claram laudat Mytilenæ. & ille furentes  
 Intendit frænis artibus domitare Caballos:  
 Præduleri amplexu Coridon Amaryllida stringit,  
 Ejusdemque genas roseas & brachia jactat,  
 Nec quoque dimittit subnixus amore, priusquam  
 Illius labris injunxerit oscula centum:  
 Fortè sub argutâ laudaverit illic rura  
 Ille suæ Patriæ; modò conjugis immemor arva  
 Patria linoquit, opumque libidine per maris æstus  
 Mercator migrat: nonnullis castra cruenti  
 Arrident Martis; sed terque quaterque beati,  
 Quos Pallas studiis & moribus instruit / illos  
 Quippe Diis superis edere doctæque coronæ  
 Nympharum miscent: sublimes verice rursus  
 Æthereos feriunt ignes, ac sidera scandunt,  
 Vnde olim venit divinus Spiritus ille,  
 Hocce tuum specimen nobis ostendit abundè,  
 Quid pridem, Fautor! sub pectore volveris imò  
 Angelicam Lucem dum jam defendis acutè,  
 Ingenium exacuisse Tuum Lux alma viderur.  
 Perge bonis ayibus: vel tandem Ecclesia Christi  
 Conferret officium. digno gavisa Ministro.


M. LEONHARDUS Schlegel/ SS. Theol. Stud.  
 F I N I S.











the scale towards document

*Aduersus Montanum.*

um sanè Concilium est & antiquissimis forme, quod more suo Ecclesia Romana ac celebrat: quod in cōp à Pontifice Romanus tur, habetur à Præfulibus, aut his qui iure consuetudine diutissimè seruata, interesse ent, & suffragia deferre, de doctrina fidei, ecclesiæ, uel pacè inter Principes Christiana. Quodcunq; ab hoc discrepauerit, Eccl n solet Concilium appellare, sed Sathanæ Concilium malignantium, Conciliabus um mente perditorum.

*ut olim fidei do-  
templi templi  
panday fulta  
Romana*

*um prouehor?*

recipitem egit extra te ipsum amentia aut dicendi, ut quo proueharis, nescias. Recipe

MON.  
GASP.

*olui graues ob causas profectioe Triden-  
ersedendum esse: quod si perfecti, dicendi  
us sum. Superest, ut uelis collectis, nauem in  
cam.*

MON.

nile perfecisti, neq; perficere unq; poteris, ni uersa colluuias hæreticorum suppetias estat, nisi ut ad te redeas, in te descendas, tisper habites. Cogites, unde excideris, & Ecclesiæ Romanæ charissimæ eius tare debeas. Ego non dubito, quin si te, atq; id animo feceris ueritatem explo- tendi q; facile tibi Spiritus sanctus eam

GASP.

X iij mentem